

MANUALE PRECUM

AD USUM

A. de R.



POSONII, 1805.

Typis GEORGII ALOYSII BELNAY.

Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni babeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, & stare ante Filium hominis. Luc. 21, 36.





Extractus de Devotione vera & oratione ex opere S. Francisci Salesii Philotea dicto.

Una tantum est vera Devotio; plures sunt falsae & vanae; hinc nisi noris, quaenam sit vera, decipi & errare posses; superstitiosae alicui devotioni sectandae temet ipsum sine fructu impendendo.

Vera devotio amorem Dei praesupponit: Sed quis est, qui amet Deum? audi quid aeterna veritas dicat; qui diligit me, ser-

 vat

vat mandata mea — quisquis ergo omnia Dei praecepta non observat, Deum non diligit, & devotus haberi non potest.

Praxis devotionis, viribus, negotiis, & officiis est accommodanda. —

Vera devotio nihil destruit sed cuncta perficit; — si quando legitimae alicujus vocationi, ac statui contrariatur, & adversatur, tunc falsa est.

Imprimis consulo tibi orationem mentalem ac cordialem. — Perutile quoque est, litanias de Redemptore Jesu, B. Virgine & Sanctis legere; nec non eas omnes orationes vocales, quae manualibus, & officiis aprobatis

con-

continentur; ea tamen conditione, ut si orationis mentalis donum habeas, ei semper primarium locum assignes.

Si orationem vocalem facis, & tunc cor tuum ad interiorem ac mentalem trahi & allici sentis; ne relucteris, sed spiritum tuum suaviter illam in partem ferri, & delabi sinas; neque adeo anxius sis, quod forte orationes vocales, quas facere proposueras, non persolveris: mentalis enim, quam illarum loco fecisti, & Deo est gratior, & animae tuae utilior; excipio vero officium & horas canonicas, si ad easdem recitandas obligeris. — Tunc enim officio satisfaciendum.

Fors

Fors donum mentalis non habes, sed tunc in via tua humiliori, minus excellente quidem, sed insufficientiae & parvitati tuae convenientiore te humiliter contineas; in qua si humiliter & fideliter perseveraveris, te Deus certe ad eminentiora adtollet.

O mnem orationem, tam mentalem, quam vocalem a Dei praesentia inchoa; hanc regulam si semper observaveris, videbis brevi, quantum boni hoc exercitium tibi sit allaturum.

Orando, ne festines, ut multa dicas, sed elabores potius, ut quidquid dixeris, ex corde, affectuose & attente dicas. Nam vel una oratio Dominicalis de-

voto

voto cum sensu & attente recitata plus valet, quam centum festinanter & celeriter recitatae.

Accedamus ad sanctam orationem non alia intentione, quam ut officio nostro satisfaciamus, nostramque fidelitatem, & nostrum amorem Deo testemur. — Si Divina Majestas nos in ea alloqui, & sanctis suis inspirationibus, & consolationibus interioribus nobiscum agere dignetur, summo sane nobis gaudio, ac voluptati erit; at, si hanc nobis gratiam facere noluerit, non magis nos alloquens, quam si nos minime videret, & in conspectu ejus non ageremus: non idcirco nos ab eo subducere,

aut

aut inde recedere, sed coram summa illa bonitate devoto, & quieto gestu manere, & expectare debemus. — Et certe nostram patientiam tunc dignanter respiciet, nostramque assiduitatem, & perseverantiam benigne intuebitur; adeo ut, cum postea rursum ante conspectum ejus comparebimus, benevole nos respecturus, suisque nos consolationibus, & colloquiis dignaturus sit, sanctae orationis amoenitatem nos videre faciens.

Addiscas etiam paulatim usu oportet, ab oratione ad quaslibet actiones, quas vocatio, & professio tua juste, & legitime exigit, esto eae ab affectibus,

quos

quos in oratione accepimus, nimis quam remotae esse videantur, transire. Novit, inquam, Advocatus ab oratione ad tribunal, mercator ad negotia, mulier conjugata ad matrimonii sui munia & familiae suae impedimenta transire, idque tanta cum animi suavitate & tranquillitate, ut spiritus propterea minime turbetur: Cum enim tam hoc, quam illud juxta divinae voluntatis praescriptum fiat, ipse ex uno ad aliud transitus in spiritu humilitatis, & devotionis est faciendus.

Optabile illud tempus consolationum non diu durare solet — continget nos subinde omni

de-

devotionis sensu privari & destitui, ut animam nostram, ceu desertum inferax, sterile, quoddam senticetum esse, prolaturi simus, in qua nulla vel semita, vel via ad Deum inveniendum appareat — tunc confessarium tuum adi, & animum tuum ei aperi; — ea, quae tibi suggeret consilia, gratanter admitte, idque quam maxima potes sinceritate, & humilitate, nam Deus qui obedientiam summopere diligit, saepe facit, ut quae ab aliis suggerentur consilia, & imprimis ab animarum directoribus, esto alias non magnopere in se utilia videantur, fructuosa evadant.

In omni afflictionum tam spiritu-

ritualium, quam corporalium genere, & in ipsis sensibilis devotionis subtractionibus, & distractionibus, quae nobis subinde contingerent, ex toto corde, & profunda cum submissione dicere oportet: Dominus dedit consolationes, Dominus abstulit, sit sanctum nomen ejus benedictum.

Non despondeamus tunc animum nostrum, sed patienter expectantes, usque quo consolationes redeant, solitum nostrum agendi modum semper retineamus, neque ullum illarum causa devotionis exercitium omittamus; imo si fieri potest, bona opera nostra augeamus. —

Errant multi, dum putant, id quod Deo sine ullo gustu interiori, sine cordis teneritudine, & sensu impendimus obsequium, divinae illius Majestati minus gratum esse.

Multum certe is non praestat, qui tempore tranquillo, & medias inter aulae oblectationes Principi famulatur; at vero is se constantem, & fidelem erga eum ostendit, qui durissimo belli tempore medios inter tumultus, & persecutiones ab ejus obsequio non recedit. — Illa oratio Deo acceptissima est: quae pia cum violentia fit, id est: ad quam non tam propter gustum aliquem, quem inde habere spera-

ramus, neque ex affectu, & inclinatione erga eandem, sed pure ad Deo placendum nos applicamus; quo nostra nos voluntas velut invitos, & coactos impellit, aviditates & repugnantias in hoc occurrentes fortiter perfringens & superans.

Idem de reliquis omnibus bonis operibus censeo: quo enim majores in iis obeundis contradictiones, ac repugnantias tam exteriores quam interiores sentimus, eo illa pluris a Deo fiunt, majoremque mercedem habebunt.

Devotio non in sensibili quadam cordis dulcedine, suavitate, consolatione, & teneritudine,

ne,

ne, quae nimirum lacrimas & gemitus elicit, & nescio, quem gratum & sapidum, in Exercitiis quibusdam spiritualibus gustum nobis dat, consistit. — Haec, & devotio unum non sunt; siquidem multae sunt animae, quae has quidem teneritudines, & consolationes habeant, interim tamen valde vitiosae sunt, ac proinde verum Dei amorem, multo etiam minus veram aliquam devotionem non hebent.

Aeterne Pater! In nomine Jesu Misericordia.

Amantissime Jesu! fiat in me, de me, super me, semper gratissima voluntas tua. Amen.

Oratio ad beatam Virginem Mariam.

Maria mater Domini nostri Jesu Christi, semper intemerata virgo, — quae nullum derelinquis, — nullum despicis, — nullum, qui ad te humili corde recurrit, desolatum dimittis. Maria! noli me despicere propter innumera & gravissima peccata mea; — noli me derelinquere propter nimias iniquitates meas — nec propter duritiam & inmunditiam cordis mei.

Exaudi me miserum peccatorem in tua misericordia & pietate confiden-

tem.



tem. Succurre mihi piissima virgo in omnibus tribulationibus, angustiis, necessitatibus — & in cunctis operibus meis.

Impetra mihi a dilecto filio tuo indulgentiam & remissionem omnium peccatorum — virtutem contra omnes tentationes hujus mundi, — emendatioem vitae — spatium verae poenitentiæ — augmentum virtutum, & gratiam timoris Domini: — sanitatem quoque & castitatem corporis & animæ, intellectum & memoriam legis & voluntatis tuae; liberationem ab omnibus malis & periculis.

In extremis esto mihi pia auxiliatrix; & animam meam, ac animas Parentum, Fratrum, Sororum, consanguineorum, Benefactorum & aliorum amicorum meorum, omniumque fidelium vivorum & defunctorum, ab omni malo libera; illo largiente, quem in tuo Sancto utero novem mensibus portasti, Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre & Spiritu Sancto

est

est benedictus in Saecula Saeculorum. Amen.

Lectio brevis.

Habe fiduciam in Domino ex toto Corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. —

In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. —

Dominus dat sapientiam, & ex voce ejus prudentia & scientia. —

Custodiet rectorum salutem & proteget gradientes simpliciter. —

Ne sis sapiens apud temetipsum, time Deum & recede a malo. — — Hæc fili mi! ne effluant ab oculis tuis, tunc enim ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget. Tu autem Domine miserere nobis. Deo gratias.

Antiph. Emitte Domine sapientiam de sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit coram te omni tempore.

V. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Omnipotens & misericors Deus, a quo cuncta bona procedunt, largire supplicibus tuis: ut cogitemus te inspirante quæ recta sunt, & te gubernante eadem faciamus. Per Dominum nostrum &c.

Cultus SS. Angelorum.

Lectio brevis ex Missali Romano.

Hæc dicit Dominus: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paravi. Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris; & est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem ejus, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, præcedetque te Angelus meus. ℟. Deo Gratias.

Li-

Litaniæ ad SS. Angelos.

Kyrie eleyson, Christe eleyson,
Kyrie eleyson.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancte Michael, ora pro nobis.

Sancte Gabriel, ora pro nobis.

Sancte Raphael, ora pro nobis.

Sancte Angele Custos, ora pro nobis.

Omnes Sancti Angeli.

Qui semper faciem Patris, qui in cœlis est, videtis.

Qui hominum Custodiam à Deo accepistis.

Qui super uno peccatore poenitentiam agente gaudetis.

Orate pro nobis.

Qui Loth de medio peccatorum eduxistis.

Qui Christo nato gaudium hominibus annunciastis.

Qui Christo in deserto ministrastis.

Qui juxta Christi sepulchrum sedistis.

Qui Christo in coelum ascendente, ejus discipulis apparuistis.

Qui Christum ad judicium venturum præcedetis.

Qui orantium preces ad Deum defertis.

Qui morientibus assistitis.

Qui prodigia, & miracula virtute Dei perpetratis.

Qui super Regna & Provincias constituti estis.

Qui Dei Famulos ex carceribus, & aliis vitæ periculis sæpe liberastis.

Qui Sanctis Martyribus in tormentis solatio fuistis.

Orate pro nobis.

Omnes

Omnes Sancti beatorum Spirituum ordines. Orate pro nobis.

A cunctis periculis, per Sanctos Angelos tuos.
Ab Insidiis diaboli.
Ab omni hæresi & schismate.
A peste, fame & bello.
A subitanea & improvisa morte.
A morte perpetua.
Ab omni tristitia & desperatione.
Ab omnibus malorum hominum insidiis.
Ab omni denique malo.

Libera nos Domine.

Per Sanctos Angelos tuos, te rogamus audi nos.

Ut nobis parcas.
Ut nobis indulgeas.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere & conservare digneris.
Ut Domnum Apostolicum & omnes ecclesiasticos ordines protegere digneris.
Ut Regi nostro N. omnibusque Principibus christianis pacem & unitatem largiri digneris.

Te rogamus audi nos.

ut

Ut omnes, qui errantes ad viam veritatis reducere student, in hoc sancto opere peculiariter benedicere, illisque corda hominum præparare digneris.

Ut fructus terræ dare, & conservare digneris.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris

Fili Dei.

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

V. Benedicite Domino omnes virtutes ejus.

R. Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

V. Domine exaudi &c.

Ore-

Oremus.

Beati Michaelis Archangeli tui commemoratione lætantes, supplices te Domine deprecamur, ut quod nostris meritis non valemus, ejus intercessione consequamur,

Deus qui per Angelum Raphaelem utrumque Tobiam in cunctis periculis liberasti, præsta quæsumus; ut eodem pro nobis intercedente Angelico suffragio ab omnibus nos mentis & corporis hostibus tuearis, & ad patriam perducas æternam.

Omnipotens & misericors Deus, qui nos angelica custodia munire dignatus es, concede quæsumus; ut tanta protectione securi, & a pravis cogitationibus liberemur in mente, & ab omnibus adversitatibus eruamur in corpore.

Deus qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris, largire supplicibus tuis & eorum semper prote-

ctio-

ctione defendi, & æterna societate gaudere. Per Dominum &c.

V. Domine exaudi &c.
V. Benedicamus Domino &c.
Et Fidelium animæ.

Hymnus.

Custodes hominum psallimus angelos.
Naturæ fragili quos Pater addixit,
Cœlestis comites, insidiantibus.
Ne succumberet hostibus.
Nam quod corruerit proditor angelus,
Concessis merito pulsus honoribus.
Ardens invidia pellere nititur.
Quos cœlo Deus advocat.
Huc custos igitur pervigil advola.
Avertens Patria de tibi credita.
Tam morbos animi, quam requiescere
Quidquid non sinit incolas.
Sanctæ sit Triadi laus pia jugiter.
Cujus perpetuo numine machina.

Tri-

Triplex hæc regitur, cujus in omnia
Regnat gloria in Sæcula. Amen.

Oratio ad Sanctum Aloysium.

Innocentissime Aloysi, ego indignus cliens tuus, totam corporis & animæ meæ puritatem, omniaque vitæ negotia specialiter tibi commendo. Rogo te per angelicam puritatem tuam, ut me Jesu Christo agno immaculato, ejusdemque matri Virgini commendare digneris, & ab omni graviori peccato custodire. Ne permittas me ulla unquam impuritatis labe fœdari; sed quamprimum in tentatione, & peccandi periculo constitutum me videris, abige procul a corde meo omnes cogitationes & affectus immundos, & injecta memoria æternitatis, & Christi Jesu crucifixi, imprime mihi sensum timoris Domini, & divini in me amoris ignem accende. Amen.

Ad Sanctum Joannem Nepomucenum.

Sancte Joannes intercede apud Deum omnipotentem, ut omne seculi decus a nobis clementer avertere, & post hujus seculi decursum ad æternam gloriam nos perducere dignetur. Amen.

Ad Sanctum Franciscum Salesium.

Sacerdos magne & Pontifex, atque virtutum opifex, Salesi! bone pastor in populo, ora pro nobis Dominum.

V. Ecce Sacerdos magnus & Pontifex.

℟. Qui in diebus suis placuit Domino.

O r e m u s.

Deus qui populo tuo æternæ salutis beatum Franciscum Salesium ministrum tribuisti, quæsumus: ut quem doctorem vitæ habuimus in terris, in-

ter-

tercessorem habere mereamur gloriosum in cœlis. Per Dominum &c.

Ad Sanctum Ignatium.

Sancte Ignati impetra mihi a Domino benedictionem & profectum in studiis, ad laudem & gloriam Dei omnipotentis.

Oremus.

Deus qui ad majorem nominis tui gloriam propagandam, novo per beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti, concede; ut ejus auxilio & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis. Per Jesum Christum &c.

Oratio pro Fidelibus Defunctis.

I.

O bone Jesu! vita & resurrectio nostra, qui discedens ex hoc mundo tuam nobis carnem & sanguinem in cibum

&

& potum reliquisti. — Per infinitum hunc amorem tuum suplex oro, miserere omnium fidelium defunctorum præsertim horum NN. & deduc eos ad vitam æternam, ad laudem & gloriam nominis tui.

Pater noster. Ave Maria.

II.

O bone Jesu! protectio & salus nostræ, qui tantos nostri causa angores in monte Oliveti sustinuisti, ut sudor tuus factus sit sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. — Per pretiosum hunc sanguinem tuum suplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum NN. libera eos ab omnibus angustiis suis & deduc eos ad vitam.

Pater noster. Ave Maria.

III.

O bone Jesu! Redemptor & Salvator noster, qui captus es propter

pec-

peccata nostra. — Per durissima illa vincula tua suplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum; præsertim horum NN. Solve omnia vincula delictorum eorum, quibus eos humana fragilitas in hac vita constrinxit, ut læti te laudent & benedicant in æternum.

Pater noster. Ave Maria.

IV.

O bone Jesu! Cordis nostri lætitia, qui benedictam faciem tuam, velari, conspui, & colaphis cædi permisisti. — Per incomprehensibilem hanc patientiam tuam & amorem tuum te suplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum NN. Admitte illos ad claritatem lucis tuæ, eosque adinple lætitia cum vultu tuo.

Pater noster. Ave Maria.

V.

O bone Jesu! Corona gloriæ nostrae, qui flagellis cæsus, & spinis di-

dire ignominioseque propter superbiam nostram coronatus es. — Per summam istam humilitatem tuam Te suplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum NN. concede propitius, ut Coronam æternæ gloriæ mox consequantur; Tu enim nos coronas in misericordia & miserationibus. Psalm. 102.

Pater noster. Ave Maria.

VI.

O bone Jesu! Advocate, Judex noster, qui iniquissimo judicio ad mortem acerbissimam damnatus, nos ab æternæ damnationis reatu absolvisti.— Per abyssum misericordiæ tuæ suplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum NN. Audiant mox verbum illud consolationis: Dimissa est iniquitas vestra. Ps. 40. 2.

Pater noster. Ave Maria.

VII.

O piissime Jesu! summum & unicum bonum nostrum, qui ipse pecca-

ta

ta nostra in corpore tuo super lignum pertulisti. — Per immensum hoc beneficium tuum Te suplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum NN. Aditus illis ad æternam gloriam mox reseretur, lætique audiant: Venite benedicti Patris mei. Matth. 25. v. 34.

Pater noster. Ave Maria.

Invocatio Sanctorum pro defunctis.

O vos Sancti Angeli, omnesque electi Dei, subvenite animabus fidelium defunctorum.

Succurre præ cæteris, tuumque benedictum filium illis ostende o clemens! o pia! o dulcis Virgo Maria. Amen.

Effusio Cordis ante Sanctissimum altaris Sacramentum.

Ecce Domine Deus meus, ad Te venio, tamquam Filius ad Patrem. — Quid mihi desit, scis, — — succurre & miserere.

Bo-

Bone Jesu suggere preces quas audire & exaudire delecteris —— Spiritus Sancte Deus miserere & illumina tenebras meas.

Amantissime Jesu! ignosce & parce peccatis meis; Tu enim in hoc Sanctissimo Sacramento es refugium meum, spes mea, fortitudo mea, Deus & Salvator meus.

Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum; — nisi tu, cui proprium est misereri semper & parcere, — nisi tu bone Jesu dexteram supponas, mergi cogor miserabiliter in profundum. — — — —

Preces & puncta meditationis sub S. Missae Sacrificio.

Oblatio et Intentio.

Offero tibi Deus meus hoc Sanctum Sacrificium, imprimis pro Ecclesia tua Sancta Catholica, pro famulo tuo Papa nostro, N. Antistite nostro N. &

Re-

Rege nostro N. et omnibus orthodoxis, atque catholicæ & apostolicæ fidei cultoribus, juxta intentionem ejusdem matris Ecclesiæ.

Deinde offero tibi hoc sanctum sacrificium quoque

Ad laudem & gloriam nominis tui; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis; in satisfactionem pro omnibus peccatis & negligentiis meis; ad consequendam misericordiam, pro me & meis omnibus.

Pro ... N. N. ... & denique pro omnibus, pro quibus scis me debere & velle orare, tam vivis, quam defunctis; conjungendo in omnibus, & ex toto, preces meas, vota & desideria mea cum intentione & oratione Sanctæ Matris Ecclesiæ, & sacerdotis celebrantis.

Piæ

Piae reflexiones sub S. Missae sacrificio quibus cor ad devotionem excitatur.

Ad Introitum.

Sacerdos pro universo populo contritus ad Altare accedit, & dicit confiteor.

Ad kyrie eleison.

Sacerdos pro universo Populo implorat Misericordiam Dei.

Ad Gloria.

Sacerdos intonat loco omnis populi laudem divinam.

Ad Collectas.

Sacerdos exorat pro populo æterna & temporalia bona.

Ad Evangelium.

Surgit universus populus indicans se ad illud audiendum, & defendendum esse paratum.

Ad

Ad Credo.

Sacerdos pro se & universo populo confessionem Fidei recitat.

Ad Offertorium.

Sacerdos pro se & universo populo offert immaculatam hostiam.

Offert eam pro innumerabilibus peccatis, offensionibus & negligentiis nostris.

Similiter & calicem Salutarem, ut in conspectu divinæ Majestatis pro nostra & totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat.

Ad Praefationem.

Sacerdos pro universo populo laudat & gratias agit Deo ter optimo.

Sub Canone.

Sacerdos orat pro Ecclesia, pro Papa nostro, pro Antistite & Rege nostro, deinde pro omnibus orthodoxis atque catholicæ & apostolicæ fidei cultoribus.

Sub Memento.

Hic Sacerdos pro omnibus circumstantibus orât.

Oratio.

Memento mei quæso Domine, cui mea fides cognita est, & nota est miseria, qui tibi obtuli hoc Sanctum sacrificium laudis pro me & meis omnibus; pro redemptione animæ meæ, pro spe salutis & incolumitatis meæ tibi reddens vota mea, tibi æterno Deo, vivo & vero. Amen.

Bone Deus, æterne pater! oblationem hanc placatus accipe, nostros dies in tua pace dispone, & clementer eripe, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Qui prius quam pateretur, accepit panem, & gratias agens benedixit, fregit, & in memoriam sui hoc sanctum sacrificium instituit in remissionem peccatorum.

Pia suspiria post S. Elevationem.

Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter. agam & non timebo.

Pater æterne, Ecce! filius tuus dilectus, qui pro nobis sanguinem sudavit; qui a discipulis suis derelictus, a Juda traditus, a Petro negatus est. Respice in faciem ejus & miserere.

Bone Jesu! pro nobis flagellatus, pro nobis spinis coronatus, Jesu pro salute nostra crucifixus, miserere nostri & exaudi nos.

Miserere Pater æterne! Miserere! Peccavi, graviter & multum peccavi; sed ecce spes mea est

Hæc Hostia pura, hæc Hostia sancta, hæc Hostia immaculata.

Panis hic sanctus vitæ æternæ, & calix salutis perpetuæ. Miserere etiam Domine omnium fidelium defunctorum præsertim. Ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas, deprecamur.

Ad Pater noster.

Sacerdos recitat pro se & universo populo orationem Dominicam.

Ad Agnus Dei.

Sacerdos implorat pro universo Populo Misericordiam & Pacem.

Ad Communionem.

Antiph. O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus; mens impletur gratia, & nobis pignus datur futuræ gloriæ.

Post Sacrum.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.

Spero remissionem peccatorum, spero gratiam sanctæ vitæ, spero felicem fluxæ hujus ætatis finem, spero denique æternam beatitudinem, quam nobis in tua passione & morte comparasti.

Hac spe erectus recedo a tuo Altari fiducialicter expetans tuam gratiam mecum semper mansuram. Amen.

Praeparatio ad sanctam Confessionem et Communionem.

Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat. S. Pauli ad Cor.

Ante examen Conscientiae.

Invoco te Deus meus, misericordia mea, qui fecisti me, & oblitum tui non es oblitus, nunc invocantem te non deseras.

Ecce admonitus redire ad memet ipsum intrabo in animam meam, fac, ut sentiam miseriam meam; congere omnia peccata mea in conspectu meo, ut videam quam turpis sim, ut videam & horream.

O

O Lumen veridicum! Tibi admoveo cor meum, ne me vana doceat; obsecro te veritas Deus meus, me ipsum mihi indica, ut confitear tibi, quod in me saucium comperero.

Veni sancte Spiritus, veni Domine Deus meus, me ipsum mihi indica, ut confitear tibi, quod in me mali invenero.

Veni sancte Spiritus, veni Domine Deus meus; illumina mentem meam, memoriam meam & intellectum meum. Da mihi omnia recte sapere, recte intelligere, & de peccatis meis ex toto corde dolere.

Alia Oratio.

Parce mihi Jesu, Salvator meus. Miserere animæ meæ; solve vincula ejus, sana vulnera ejus.

Jesu! te desidero, Jesu! te quæro, bone Jesu! te volo; ostende faciem tuam & salvus ero.

Vide afflictionem & miseriam meam. Domine ante te omne Desiderium me-

um,

um, & gemitus meus a te non est absconditus.

Iniquitatem meam ego cognosco; factus sum mihimetipsi gravis, bone Jesu tolle peccatum meum.

Miserere mei Deus, miserere; ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus.

Ad te Domine revertar, Domine ad te! ne projicias me a facie tua. Revertar in toto corde meo; recogitabo dies antiquos in amaritudine animæ meæ.

Pravum & inscrutabile est cor meum. Omnia nuda & aperta sunt oculis tuis. Tu gressus meos dinumerasti. Veni igitur & illumina tenebras meas, ut videam, ubi declinaverim a mandatis tuis.

Post Examen Conscientiae.

Amarum est te Dominum Deum dereliquisse. Ad imaginem & similitudinem tuam creasti me; per totum vitæ meæ tempus paterne conservasti.

Tu

Tu vires & valetudinem dedisti, tu in tot periculis & adversis salutem præstitisti.

Tu victui necessaria, bonam famam, honores & dignitates, tu bone Deus tot inumera beneficia tribuisti: Quid tibi Domine pro his omnibus reddidi?

Tu mei causa de coelo descendisti, propter me sanguinem sudasti, propter me spinis coronatus & flagellatus es.

Propter me crucem bajulasti, propter me crucifixus es. Quid tibi bone Jesu retribui pro dilectione ista.

Amarum est te Dominum Deum offendisse. Vadam & ostendam me sacerdoti; in spiritu humiliato, ad pedes ejus constitutus, iniquitatem & miseriam meam portabo.

Non abscondam peccatum meum in sinu meo, nec celabo iniquitatem meam. Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, vulnera mea ei ostendam.

Ecce!

Ecce! Deus Salvator meus, fiducialiter agam & non timebo.

Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, sicut erat &c.

Domine! memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Vado.

In Nomine Patris, &c.

Alia oratio post Examen.

Tibi Domine manifestus sum, quicunque sum. Væ mihi, quia tamdiu computrui coram oculis tuis, placens mihi, & placere cupiens oculis hominum.

Quem fructum habui miser aliquando in iis, quæ nunc recolens erubesco. Talis vita, tot coinquinata maculis, numquid vita est, Deus meus.

Quoties efferbui miser sequens impetum cordis mei, relicto te? Vides hæc Domine, & taces; numquid semper tacebis?

Ecce ingemisco orando, ut subvenias mihi, Deus meus fac ut resurgat in te a lassitudine anima mea; muta

me

me ex omni parte Deus meus, quoniam coepisti mutare me.

Miserere Pater coelestis, miserere! a te aurum aut argentum non peto, nec aliquod mutabile aut volubile bonum, sed salutem animæ meæ in nomine Jesu.

Actus contritionis.

O bonitas infinita nunquam amplius te offendam. Domine malo mori, malo bonorum & honoris jacturam pati, quam te offendere, & tibi displicere.

Solò amore tui doleo ex toto corde meo, quod te summum ac infinitum bonum, Deum meum, Creatorem, Redemptorem, & Sanctificatorem meum, peccatis meis offenderim, te quem semper super omnia amare debuissem, & deinceps super omnia amare volo.

Firmiter statuo ac propono amantissime Deus, cum tua gratia, non amplius peccare, omnes peccandi occasiones vitare, peccata mea confiteri,

poe-

poenitentiam agere, proximo meo satisfacere, & tibi semper sincero corde fideliter servire.

Detestor, quantum possum, quidquid feci, cogitatione, verbo, opere, aut omissione, contra te, vel proximum meum, cupio ac desidero me id nunquam fecisse.

Ecce Deus meus & Dominus meus, Ecce! nunc peccata mea cum dolore confitebor. Confitebor ea sacerdoti, cui potestatem dedisti remittendi in terris, atque retinendi peccata.

Confitebor ea cum proposito non amplius peccandi. Aperiam os meum, loquar in amaritudine animæ meæ. Tu Domine, fidelis in omnibus verbis tuis. Tu Domine adjuva me, in nomine Jesu. Amen.

Oratio post sacram Confessionem.

Suscipe Domine de mea misera vita residuum annorum meorum. Pro his, quæ vivendo perdidi, cor contritum & humiliatum non despicias.

Dies

Dies mei declinaverunt, periverunt sine fructu, impossibile est, ut revocem eos, bone Jesu parce & miserere.

Abyssus abyssum invocat. Pater æterne ne contineas in ira miserationes tuas ... Nihil enim odis eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter poenitentiam.

Tuum est Domine remittere peccata, miserere quia nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis.

Fac me, quæso, assueta mala relinquere. Ubi abundavit delictum, superabundet gratia.

Jesu! bone Jesu! per passionem & mortem tuam, per amorem piissimæ Matris tuæ, per intercessionem omnium sanctorum, oro, exaudi orationem meam, & ignosce omnibus peccatis, negligentiis, & ignorantiis meis.

Recordare, bone Jesu, quod tuum non sit perdere quemquam ex iis, quos tibi dedit Pater. Missus es a Patre non ut judices mundum, sed ut vitam habeamus per te.

Quod debuimus, bone Jesu, tu solvisti, quod peccavimus, tu luisti, quod neglεximus tu suplesti. En bone Jesu hæc spes, hæc consolatio mea est.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, sed tu pie, misericors & præstabilis super malitia, miserere & parce.

Moveat te bone Jesu ad misericordiam humanæ fragilitatis Consideratio. Notum est tibi, quæ sit hominis substantia, quod non vane constitueris eum super terram.

O piissime Jesu, plenus misericordia & pietate; suscipe de mea misera vita residuum annorum meorum, & conserva opus tuæ pietatis; ne in cassum circa ipsum laboraveris, & ne infructuosa in me sit sacratissimi sanguinis tui effusio.

Gratias tibi, dulcedo mea, honor meus, & fiducia mea Deus meus! quia per omnia hortamenta tua, per omnes terrores tuos, per consolationes,

tribu-

tribulationes, & gubernationes huc me perduxisti.

Spero firmiter o Deus meus! omnia peccata mea per infinita merita Filii tui Domini nostri Jesu Christi, in hoc poenitentiæ Sacramento mihi condonata esse.

Tu enim æterna veritas, fidelis & verax in omnibus verbis tuis, tu enim dixisti: si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit præcepta mea, omnium ejus iniquitatum non recordabor.

Hymnus ad Beatam Virginem Mariam.

Ante Thronum Trinitatis miserorum miserata.

Pia Mater pietatis, sis pro nobis advocata.

Causam nostræ paupertatis coram Deo sustine.

Et veniam de peccatis, servis tuis obtine.

V. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

R.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Famulorum tuorum, quæsumus Domine, delictis ignosce: ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit. &c.

Ante Sacram Communionem.

Ego peccator ad mensam tuam Domine Jesu cum timore accedo.

Cor & corpus enim habeo multis criminibus maculatum, mentem & linguam non caute custoditam.

Ad te, bone Jesu, fontem misericordiæ recurro, ad te festino sanandus.

Sub tuam protectionem fugio, & quem judicem sustinere nequeo, salvatorem habere cupio.

Tibi Domine plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego.

Scio peccata mea multa & mala timeo, sed spero in misericordias tuas, quorum non est numerus.

Respice me oculis misericordiæ tuæ Domine Jesu, Deus & homo pro salute nostra crucifixus.

Ne projicias me a facie tua. Exaudi sperantem in te, veniens in me erige me; collige me, muta me, sana me, conforta me, & consolare me.

Animam meam ad capiendum te, tu bone Jesu, præpara, ex desiderio, quod inspiras ei.

Accipite & manducate: Hoc est Corpus meum.

Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.

Qui manducat meam carnem, in me manet & ego in illo. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

Hic

Hic est panis de coelo descendens; ut si quis ex ipso manducet, non moriatur.

Veni bone Jesu! & non confundas me ab expectatione mea.

Veni misericordissime Jesu! & veniant super me universæ benedictiones tuæ.

Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendisti de coelo, veni in cor meum.

Ad mandatum tuum Domine accedo. Sancta Maria, Sancte Angele Custos, omnes Sancti Dei intercedite pro me.

Hic recitare poteris Psalm. 80. 85. 102.

Oratio.

Gratias tibi ago Domine Sancte Pater omnipotens, æterne Deus, quod me miserum peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso corpore &

& sanguine filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Oro te Pater aeterne, ut hæc sacra communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam.

Sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis.

Sit vitiorum meorum, sit concupiscentiæ & libidinis exterminatio. Charitatis, mansuetudinis, patientiæ, humilitatis, obedientiæ omniumque virtutum augmentatio.

Contra insidias inimicorum meorum, tam visibilium, quam invisibilium, firma defensio.

Motuum meorum tam carnalium, quam spiritualium perfecta quietatio.

In te uno ac vero Deo firma adhæsio, atque finis mei felix consummatio.

Per eundem Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Pie

Pie Jesu Domine! Tu solus sis semper spes mea, tota fiducia mea, gaudium meum, jucunditas mea, quies, tranquillitas, & refectio mea, refugium meum, auxilium meum. Tu Domine sis consolatio mea, sapientia, portio, & possessio mea; Thesaurus meus, in quo semper sit cor meum. Amen.

Oratio ad B. V. Mariam.

Maria virgo gloriosa, Mater Domini nostri Jesu Christi, quæ Creatorem omnium in tuo sacro utero fuisti digna portare; cujus verum sacrum corpus & sanguinem, ego indignus peccator, modo sumere præsumpsi: tuam humiliter deprecor misericordiam, ut apud ipsum pro me peccatore intercedere digneris, ut quidquid in sumtione hujus sanctissimi Sacramenti per me irreverenter ac negligenter actum, vel omissum est, precibus tuis indulgere dignetur idem Dominus noster Jesus Christus filius tuus, qui cum Patre & Spititu Sancto benedictus sit in sæcula. Amen.

Quaedam pia suspiria ex operibus S. Augustini Episcopi Hipponensis excerpta, quae animum ad orationem excitant.

Homo Deo verbis, quibus potest, suas dicat laudes. Justum namque est, ut creatura suum laudet creatorem. Ipse enim ad laudandum se, nos creavit, qui nostris non indiget laudibus.

Oratio.

Deus meus refugium meum, & liberator meus suggere, quid de te cogitem; doce, quibus sermonibus te invocem; da, quibus operibus tibi placeam.

Da mihi lumen in corde, verbum in ore, ut cor meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea tota die cantet laudes tuas.

Sed quia non est pulchra laus in ore peccatoris; & quia vir pollutus labiis sum ego, munda obsecro cor meum ab omni inquinamento: sanctifica me,

san-

sanctificator omnipotens, & fac me dignum laudibus tuis.

Suscipe benigne Sacrificium labiorum meorum, fiatque acceptabile in conspectu tuo, & ascendat ad te in odorem suavitatis.

Miserum me! quomodo sic insensata facta est anima mea, ut non terreatur, dum stat ante Deum & suas illi decantat laudes?

Ignosce Domine! ignosce, parce ignorantiæ meæ, & multæ imperfectioni meæ, noli me tamquam temerarium reprobare, quod audeam te sine cordis contritione & lacrimarum fonte, sine reverentia debita & tremore, laudare, benedicere, & adorare. Miserere Domine! miserere; non enim aliunde possumus servire, neque tibi placere, nisi de tuo munere.

Utinam possem tibi talia dicere, qualia illi hymnidici angelorum chori! *Numquid tacebo quia talia non possum?*

Ah Domine quia nulla invenio verba, quibus te sufficienter valeam expli-

plicare cunctipotens & omniscium *Verbum pro Salute nostra caro factum*, dicam interim, quod valeo; donec jubeas me venire ad te, ubi possim dicere, quod te decet, & me oportet. Interim autem supliciter rogo: *ut non respicias tantum ad id quod modo dico, sed ad id quoque quod dicere opto.*

Pie & misericordissime Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam (vel propter mysterium illud quod modo Ecclesia celebrat) suscipe preces servi tui: & da mihi effectum orationis meæ & desiderii mei, intercedente gloriosa Virgine Genitrice tua Maria, & omnibus Sanctis tuis. Amen.

Sub-

Substantia omnium Precum.

Gratiarum. Actio.

I.

Aeterne! fortis & potens Deus! quam inscrutabilis est tua sapientia; quam grandis tua gratia, quam infinita charitas tua, quam superabundans bonitas tua; quam inhexhausta miseratio tua; quam præstabilis tua longanimitas; quam gloriosa tua justitia; quam pura veritas tua; & quam inconprehensibilis omnipotentia tua.

II.

Domine nosco humilitatem meam & celsitudinem tuam; nullitatem meam & excellentiam tuam; indignitatem meam & Majestatem tuam.

III.

Ego nil sum, tu es omnia; ego miser sum, tu misericors; ego imprudens sum, & tu sapiens. Ego peccator & tu propitius; ego inobidiens & tu patiens; ego pauper & tu munificus; ego imbecillis & tu fortis. Domine indignus sum omnibus beneficiis quæ mihi tribuisti.

IV.

Mirabiles sunt operationes tuæ, terribiles sunt comminationes tuæ, severa sunt supplicia a te inflicta, benignæ castigationes a te profectæ, veraces tuæ promissiones, fideles tuæ sponsiones, & amor tuus super omnia.

V.

Ego tua sum creatura, tu meus creator; ego servus tuus, tu Dominus; ego debitor tuus, tu benefactor meus, a te omnia habeo & sine te nihil.

VI.

Pater cœlestis laudatus esto, quia me

me ex nihilo creasti, ad imaginem tuam efformasti; corpus integrum & sanum cum anima rationali contulisti; & quia me in sinu ecclesiæ catholicæ ab honestis parentibus in vitæ lucem prodire jussisti.

VII.

Aeternum esto laudatus, quod perdito hominum genere, misertus sis; quod lapsos erexeris; filium tuum nobis donaveris; Regnum cæleste reseraveris, & hanc sanctam voluntatem tuam toti orbi manifestaveris.

VIII.

Amantissime Jesu gratias tibi ago quod advocatus meus, liberator meus, salvator & redemtor meus, mediator & cibus meus factus sis.

IX.

Mansuetissime Jesu! gratias ago tibi; pro amore tuo & fidelitate; pro incarnatione & nativitate tua; pro doctrina

ctrina & gestis tuis; pro angustiis quas passus es; pro opprobriis & contumeliis, quas sustinuisti; pro verberibus & vulneribus quæ patienter tulisti; pro cruce & morte, quam subivisti; pro Resurrectione tua & ascensione in cœlum.

X.

O Domine, quam verum est sanctum Evangelium tuum, quam consolantes tuæ promissiones; quam pretiosa redemtio tua, quam salutifera vulnera tua, quam efficax sanguis tuus.

XI.

Et ideo Domine iterum tibi gratias ago: quod consilium divini tui Patris nobis annunciaveris. Quod cum Deo nos reconciliaveris, quod nos ex inferis redemeris, quod me in baptismo susceperis, & quod me in sanctissimo altaris sacramento, tuo sacro corpore pascas & sanguine tuo potes.

XII.

XII.

Et tu Spiritus sancte Deus, consolator optime in omni tribulatione; adoro te, laudo & glorifico te, tibique gratias ago.

XIII.

A te omne accipio beneficium, quidquid meditor, loquor aut exequor. A te habeo utrumque, & velle & perficere. Tu solus me reddis idoneum ad vitam æternam.

XIV.

Tu me vocas, antequam operer; tu expectas, donec agam; tu opem fers mihi, ut exequar. Tu me roboras, quando vacillor.

XV.

Mitissima sunt tua dona, abundantissima consolatio tua.

XVI.

Laudatus esto, quia me pauperem & corruptum hominem ex miseriis eripuisti,

puisti; per Evangelii Doctrinam, bonorum librorum lectionem, & amicorum hortamenta vocasti; per lavacrum sancti baptismatis renasci fecisti, ignorantiam animæ meæ illustrasti, impuritatem cordis mei sanctificasti, & vires amissas renovasti.

XVII.

O Sancta & individua Trinitas, Pater, Filius, Spiritus sanctus, unus Deus, laudamus infinitam tuam bonitatem, & gratias agimus pro omnibus beneficiis.

Gratias agimus, quod Ecclesiam nostram in doctrina sana & pura; rempublicam in pace & quiete, omniumque hominum status in tranquillitate conservaveris.

XVIII.

Gratiarum actionem pariter rependimus, quod Patriam nostram a bello & effusione sanguinis; ab ira, odio, & mala voluntate, ab annonæ penuria

&

& fame, a peste & morbis epidemicis, & ab omni incommodo custodieris.

XIX.

Tu solem super nos oriti facis quotidie; tu mittis pluviam matutinam & serotinam; tu benedictionem præbes terræ, ut fructum germinet, tu das panem quotidianum: piissime Deus sis benedictus in sæcula sæculorum.

XX.

Bone Deus, quantum tibi debeo? Tu me ab incunabulis ad hunc usque diem conservasti, mirabiliter duxisti, ex variis adversitatibus liberasti, in diversis angustiis protexisti, a pluribus infortuniis præservasti, ab instantibus periculis redemisti, in pusilanimitate consolatus es, in multiplici calamitate adjutor fuisti.

XXI.

Dum infirmabar, me valetudini restituisti; Dum erravi, tu me correxisti,

sti, dum peccavi, patienter mecum egisti. Dum egi pœnitentiam, mihi ignovisti. Dum oravi me exaudisti. Dum aliquid agere præcepi, benedixisti mihi, & si alii opus meum impediverunt, tu illud promovisti

XXII.

Ab infantia jam pro me eras solicitus. In juventute vias meas direxisti, & in senectute meam causam suscipies.

XXIII.

Te auxiliante habeo plures fautores & promotores, pluribus utor amicis, & demum fideli fruor statione & subsidiis vitæ.

XXIV.

Bone Deus laudatus esto & exaltatus pro omnibus, quæ usque in hunc diem a te accepi, & ultro sum accepturus.

Pro intervallis temporum, pro die-

diebus, horis atque momentis; & pro hoc horæ puncto, quod me attingere concessisti; pro secura quiete, quam elapsa mihi nocte indulsisti; pro incolumi vita, quam mihi hodie largitus es; & pro quolibet cibi bolo, quem hodie manduco..

XXV.

Gratias ago pro vitæ statu, in quem me posuisti; pro dignitate, quam mihi contulisti; pro mediis & opibus, quibus mihi providisti; pro omni fortuna quam mihi adjecisti; pro fideli conjuge quam mihi collocasti; pro conjugii benedictione quam mihi impertitus es; pro ..... & pro reliquis beneficiis quibus me cumulasti.

XXVI.

O amantissime Deus! quot homines, hodie, hac hora & momento; hic loci & alibi, sunt miseriores, quam ego;

ego; egentiores, abjectiores, infeliciores, afflictiores quam ego!

XXVII.

Eapropter laudatus & glorificatus esto, pro me & pro omnibus, quibus æque beneficia præstas, ac mihi.

Gratias Domine, quod hæc omnia mihi dederis agnoscere.

XXVIII.

Anima mea te magnificet, labia mea tibi gratias agant.

Laudent te angeli, collaudent te omnes sancti.

XXIX.

Gloria Deo Patri qui me creavit; gloria Deo filio qui me redemit; gloria Deo Spiritui sancto, qui me sanctificavit.

Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

II.

Invocatio.

I.

Omnipotens, propitie, misericors Deus, Pater noster, Creator universorum, dator omnium bonorum.

Aspice, hac hora accedo ad te, tamquam mendicus ad divitem, infirmus ad medicum, derelictus ad auxiliatorem, filius ad Patrem.

II.

In nomine Jesu, ad mandatum tuum, & propter promissionem tuam, oro te pro omnibus donis, pro quibus orari jubes.

III.

Largire quod posco; porrige id quo indigeo; concede quod mihi prodest & salubre accidit.

Mitte in omnibus, ut tibi lubet; & esto hodie & quoad vixero Deus meus qui me adjuvet; Præsidium meum, in quo confidam; lucerna pedibus & lumen semitis meis.

IV.

Domine Pater omnipotens! Sapientia tua me dirigat, Gratia tua me conservet, consolationes tuæ me laetificent; misericordia tua me consoletur; omnipotentia tua me tueatur.

V.

Jesu bone! esto Salvator meus; Evangelium tuum me doceat; vita tua me instruat; Passio tua me redimat; patientia tua exemplum mihi præbeat.

VI.

Spiritus sancte Deus! esto consolator meus; converte me, quia peccator sum. Ad vitam me revoca, quia mortuus sum, suscita me, quia dormio; lava me, quia inquinatus sum; & ad vitam æternam me præpara.

VII.

Illustra intellectum mihi, sanctifica voluntatem, compesce concupiscentiam, & robur adde imbecillitati meæ.

VIII.

VIII.

Benedic, habita, & mansionem fac in me sanctissima Trinitas; terrorem mihi incute a violandis mandatis tuis; solare me iterum tuis Evangelii verbis, instrue me in tua doctrina.

Ut peccata mea agnoscam, iram divinam mitigem, inferni poenas metuam, poenitentiam agam, in Jesum credam, fidem meam publice profitear, & ita beatus evadam.

IX.

Munitum me fac o Deus, his omnibus, quæ tibi sunt placita, & mihi salutaria; effice cor meum semper accensum in spiritu, jucundum in spe, promtum in demissione sui, sanctum in fervore, assiduum in oratione, inflammatum in charitate, impigrum in obedientia, filiale in timore, & præsta, ut continuo inquiram, quod in cœlo est.

X.

Insere in cor meum verbi tui desideri-

derium, si in domo tua reperiar, illumina me, dirige me, ædifica me, exaudi, & emenda me.

Dum ad sanctissimum Eucharistiæ accedo mysterium, permitte me dignum adesse hospitem.

XI.

Pater æterne! in nomine Jesu peto: ut sim purus in cogitatu, verax in verbis, fidelis in operando, verecundus in gestis, pudicus in moribus, moderatus in lætitia, discretus in irascendo; industrius in agendo; solers in negotiis, felix in proposito, & prudens in omnibus vitæ actionibus.

XII.

Da Domine intellectum ut me ipsum noscam, ut malum a bono discernam, & de omnibus prudenter judicem.

XIII.

Fac in me amorem crescere, da

&

& auge justitiam, ut proximo meo faciam quod debeo, tribuam quod illius est, non adimam quod jure habet, & cuncta illum habere gaudeam, quæ tu largitus es.

XIV.

Inclina cor meum ad misericordiam, & manibus meis adde munificentiam, da ut derelictorum causam suscipiam, errantibus bene consulam, ignorantes doceam, pro imbecillibus loquar, egenos sublevem, infirmos & tabescentes refocillem, cadentes erigam, oppressos restituam, penuriam passos recreem, afflictis solatium, universis quidpiam auxilii exhibeam.

XV.

Procura pariter Domine: ut facile reconcilier, inimicos diligam, benedicam maledicentibus mihi, benefaciam his qui offendunt me; parcam his qui in me insurgunt, illis bonum pro malo reddam.

XVI.

XVI.

Da, ut cum omnibus agam, velut obligor: reverens sim sacerdotii, obediens erga superiores, affabilis mihi similibus, apud illustres personas humilis, apud inferiores blandus, apud pares mihi officiosus, gratus erga benefactores, infucatus in amicos, gaudens cum gaudentibus, mœstus cum mœrentibus, ut mea charitas recta sit, & cum unoquoque hominum pace fruar.

XVII.

Verum tamen, quia in mundo pericula nobis obviant, dirige me in hominum conventibus, ut effugiam impios, adjungam me ad pios, bonorum exempla imiter, & alios ædificem.

XVIII.

Largire mihi Pater cælestis tuam in rebus temporalibus benedictionem, in tantum quantum ego indigeo, & tuæ sanctissimæ voluntati placitum est; pru-

den-

dentiam, cor hilare, & vires corporis illæsas, his adde benignus.

XIX.

Conserva bone Deus, quod mihi dedisti: auge mihi memoriam, acue sensationes, corrobóra vim membrorum, artubus adsis custos; vitæ annos prolonga, quamdiu tibi libuerit & mihi bonum fuerit.

XX.

Si vescor, benedic edulia; si dormio, custodi me; si domo egredior, deduc me; si ingredior, mecum mane; si senuero, adjuva me; in omnibus viis meis angelus tuus custodiat me.

XXI.

Repone me in talem vitæ statum, quem nosti mihi fore congruum. Si fuerit ad tuum honorem, si fuerit ad salutem animæ meæ, extolle me, si non, permitte me in mediocritate mea.

XXII.

XXII.

Domine! da tantum honoris, quantum mihi commodo est; tantum auctoritatis, quantum fert mea indoles; tantum potestatis quantum usus officii mei exigit.

XXIII.

Da, quæso, ut negotiis meis rite provideam; inspira amorem laboris, prudentiam ad res gerendas, sagacitatem & sinceritatem in consiliis, dexteritatem in omnibus.

XXIV.

Si conjugem mihi concesseris, præsta mihi matrimonium amicabile, thalamum benedictum, prolium educationem bonam, & totum vitæ cursum sine fastidio.

XXV.

Benedic vitæ alimenta, proventus meos, & omnia a me possessa; ut tantum

tum lucrum acquiram, quantum postulat necessitas; ut satietur os, ut corpus tegatur; familia & domus non egeat, ut eripiar a penuria; succurram proximo; pauperes adjuvem, & ut honorem tuum promoveam.

XXVI.

Bone Deus! nemo potest in orbe terrarum sibi solus prospicere, hinc quæso largire: favorem inter homines, gratiam apud superiores, & amorem coram universis; ut numquam destituar fidelibus amicis, addictis fautoribus, potentibus promotoribus. Suppetat mihi semper consilium in rebus dubiis, auxilium in adversis, & patrocinium, sicubi premerer.

XXVII.

Ultimatim, clementissime Pater! quia adversitates mihi non deerunt, donec vixero; eá propter fac me humilem, si contemnor; clementem, si offendor;

dor; constantem, patientem, in tuam sanctissimam voluntatem resignatum, si patior.

XXVIII.

Suscipe me dum derelinquor; consolare me, dum terreor; conforta me, dum infirmor; lætifica me dum tristor, & si quidpiam afflictionis mutare nequeo, adjuva me, ut omnem tribulationem sine murmuratione perferam.

XXIX.

Si ægrotem, esto mihi medicus; si doloribus oprimar, dolores mitiga; si melius me habeam, serva me in hoc statu; quod si non sentiam melius me habere, indulge conformiter tuæ sanctissimæ voluntati, breve post intervallum, & dum ratione sanus sum, beatum ex vita mortali exitum.

III.

Intercessio.

I.

Deus! qui olim Patribus nostris fuisti propitius, suscipe clementer nunc verba labiorum meorum, ut omnes homines orationis meæ fiant participes.

II.

Conserva, tuere, dirige, deduc & auge Ecclesiam tuam, ab omni hæresi custodi eam.

III.

Custodi Romanum Pontificem papam nostrum ab omni malo; communitatem nostram a schismate; civitatem hanc a scandalis.

IV.

Suprime inimicos fidei catholicæ; illustra errantes, converte impios; parce

ce peccantibus, & compesce universas hæreses.

V.

Omnipotens misericors Deus! tueare Regnum & Imperium nostrum; concede omnibus Regibus, superioribus, senatoribus, consiliariis, & his qui in nos dominantur, pietatem Davidis, sapientiam Salamonis.

VI.

Largire illis, ut sint fideles pro bono communi; soliciti pro tua Ecclesia; clementes in subditos; æquanimes in proximos; victoriosi contra tuos hostes & suos.

VII.

Implanta, bone Deus! in corda potentium cogitationes pacis, cogitationes pias; ut indagent res divinas. Inspira consiliariis consilia salutaria; Judicibus amorem justitiæ; & omnibus offi-

officialibus misericordiam; ut apud nos & ubique terrarum, virtuti præmium tribuatur, malum impediatur, & unusquisque in sua functione fidelis reperiatur.

VIII.

Dirige subditos, ut superiores diligant; legibus obediant; statuta observent, & ubi necessitas exigit, vitam & facultates pro sancta Religione & Rege tuendo consecrent.

IX.

Conserva patriam nostram incolumem; mitte benignam cœli tempestatem; custodi nos, & universum mundum a peste, fame, morbis grassantibus, dissensionibus, tumultibus, bello & omnibus injuriis.

X.

Benedicere digneris pariter rem familiarem nostram, & concede omnibus

bus patribus familias & matribus: Pacem in matrimonio, augmentum in alimentis, & lætitiam in prolibus.

XI.

Prolibus infunde, obedientiam facilem, timorem filialem, reverentiam debitam, & omnimodam gratitudinem.

XII.

Bone Deus! totum genus humanum tibi habe commendatum. Da pauperibus auxilium, panem famelicis, potum sitientibus, nudis vestimentum; tueare exulantes, redime captivos, consolare afflictos, medere ægrotantibus, adesto pusillis & succurre prægnantibus. Manuduc juventutem; sustine senectam, opitulare infantibus, enutri orphanos, protege viduas, corrobora debiles & eripe tentatos.

XIII.

Singulariter commendo tibi Familiam meam,

meam, N. N. & domesticos, N. N. & hos....

Quibuscunque in locis commorentur, defende illos ab omni adversitate, & da illis omnia bona, Spiritus sanctus dirigat eos.

XIV.

Benedic benefactores, & amicos meos; ignosce meis adversariis, converte maladicentes mihi, & transfer nos omnes in vitæ sempiternæ beatitudinem.

XV.

Benigne & misericors Deus! propitius esto animabus in purgatorio patientibus; præsertim animabus parentum nostrorum; consanguineorum, amicorum & benefactorum, tribue requiem æternam. Mitiga earum dolores; exple suspirantium desideria, ignosce peccatis earum. Miserere illorum defunctorum, quorum specialis memoria non est, & secundum infinitam misericordiam tuam

libera

libera omnes a malo in nomine Jesu. Amen.

Cultus divini amoris sub symbolo SS. Cordis D. N. J. C.

Lectio brevis ex breviario Romano.

Ad hoc perforatum est latus tuum Domine, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est cor tuum, ut in illo, & in te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. Nihilominus & propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum corpus; verum etiam ipsum cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit. Quis illud cor tam vulneratum non diligat? quis tam amans non redamet?

met? quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in corpore manentes, quantum possumus, amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, cujus impii persecutores foderunt manus, & pedes, latus & cor: oremusque, ut cor nostrum durum adhuc, & impœnitens amoris sui vinculo constringere, & jaculo vulnerare dignetur. Quam Charitatem Christi patientis, & pro generis humani Redemptione morientis, atque in suæ mortis commemorationem instituentis, Sacramentum corporis, & sanguinis sui, ut fideles sub sanctissimi cordis symbolo devotius, ac ferventius recolant, ejusdemque fructus uberius percipiant, Clemens XIII. Pontifex ejusdem sanctissimi cordis festum celebrari permisit.

R. Deo gratias.

Litaniae.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus.
Fili Redemptor mundi Deus.
Spiritus Sancte Deus.
Cor Jesu in sinu Mariæ virginis formatum.
Cor Jesu in utero Mariæ quiescens.
Cor Jesu pastoribus blandiens.
Cor Jesu Magos a finibus orbis accersens.
Cor Jesu Mariæ & Joseph subditum.
Cor Jesu plenum amore & misericordia.
Cor Jesu ubique miracula operans.
Cor Jesu pro peccatoribus semper solicitum.
Cor Jesu oves errantes revocans.
Cor Jesu in horto anxiatum.
Cor Jesu in horto pavidum.

Miserere nobis.

Cor

Cor Jesu mœrore contritum.
Cor Jesu triste ad mortem.
Cor Jesu propter scelera nostra attritum.
Cor Jesu ad agoniam reductum.
Cor Jesu ab Angelo confortatum.
Cor Jesu per Judam afflictum.
Cor Jesu Apostolorum defectione contristatum.
Cor Jesu opprobriis, & doloribus saturatum.
Cor Jesu usque ad mortem obediens.
Cor Jesu lancea perforatum.
Cor Jesu nostram salutem desiderans.
Cor Jesu nostræ redemptionis opus perficiens.
Cor Jesu coelum cum terra reconcilians.
Cor Jesu refugium peccatorum.
Cor Jesu fortitudo justorum.
Cor Jesu consolatio afflictorum.
Cor Jesu robur tentatorum.
Cor Jesu spes morientium.

Miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti filii tui corde gloriantes praecipua in nos charitatis ejus beneficia recolimus; eorum pariter & actu delectemur, & fructu.

Deus qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus ita nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus.

Respice, quæso, Domine super me indignum famulum tuum, ad familiam hanc pertinentem, pro qua Dominus no-

noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium & crucis subire tormentum. Qui vivis & regnas.

Hymnus ad Vesperas.

Auctor beate sæculi,
Christe Redemptor omnium,
Lumen Patris de lumine
Deusque verus de Deo.
Amor coëgit te tuus
Mortale corpus sumere,
Ut novus Adam redderes,
Quod vetus ille abstulerat.
Ille amor almus artifex
Terræ, marisque & siderum,
Errata Patrum miserans
Et nostra rumpens vincula,
Non corde discedat tuo
Vis illa amoris inclyti:
Hoc fonte gentes hauriant
Remissionis gratiam,
Percussum ad hoc est lancea,
Passumque ad hoc est vulnera;
Ut nos lavaret sordibus

Unda

Unda fluente & sanguine,
Decus Parenti & filio,
Sanctoque sit Spiritui,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est saeculum.
Amen.

Ant. Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.

V. Dirupisti Domine vincula mea.
R. Tibi sacrificabo hostiam laudis.

Oratio: concede &c.

Hymnus Matutinus.

En, ut superba criminum
Et sæva nostrorum cohors
Cor sauciavit innocens
Merentis haud tale Dei!
Vibrantis hastam militis
Peccata nostra dirigunt;
Ferrumque diræ cuspidis
Mortale crimen acuit.
Ex corde scisso Ecclesia
Christo jugata nascitur;
Hoc ostium arcæ in latere est

Genti

Genti ad salutem positum,
Ex hoc perennis gratia
Ceu septiformis fluvius;
Stolas ut illic sordidas
Lavemus agni in sanguine.
Turpe est redire ad crimina
Quæ cor beatum lacerent;
Sed æmulemur cordibus
Flammas amoris indices.
Hoc, Christe nobis, hoc Pater,
Hoc sancte dona spiritus,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est sæculum. Amen.

Antiph. Secundum multitudinem numerum dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

V. Vere languores nostros ipse tulit.

R. Et dolores nostros ipse portavit.

Oratio, ut prius.

Hym-

Hymnus ad laudes.

Cor, Arcâ legem continens
Non servitutis veteris;
Sed gratiæ, sed veniæ,
Sed & Misericordiæ
Cor, sanctuarium novi
Intemeratum Foederis,
Templum vetusto sanctius
Velumque scissum utilius.
Te vulneratum charitas
Ictu patenti voluit;
Amoris invisibilis
Ut veneremur vulnera.
Hoc sub amoris symbolo
Passus cruenta & mystica;
Utrumque sacrificium
Christus sacerdos obtulit.
Quis non amantem redamet?
Quis non redemptus diligat?
Et corde in isto seligat
Aeterna Tabernacula?
Decus Parenti & filio,
Sanctoque sit spiritui;
Quibus potestas gloria,
Regnumque in omne est sæculum. Amen.

Antiph. Sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.

V. Ignem veni mittere in terram.

R. Et quid volo nisi ut accendatur.

Oratio, ut antea.

Cultus B. Mariae Virginis.

Lectio brevis ex breviario Romano.

O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter Procellas & tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra, naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, con-

conscientiæ foeditate confusus, judicii horrore perterritus, baratro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde, & ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis; & sic in temet ipso experiris, quam merito dictum sit: & nomen virginis, Maria.

R. Deo gratias.

V. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Concede omnipotens Deus, ut fideles tui, qui sub sanctissimæ Virginis

Ma-

Mariæ nomine & protectione lætamur: ejus pia intercessione a cunctis malis liberemur in terris, & ad gaudia æterna pervenire mereamur in coelis. Per Jesum.

Litaniae Lauretanae B. V. Mariae.

Pro felilici Morte.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis.

Mater

Mater Christi,
Mater Divinæ gratiæ,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiæ,
Sedes sapientiæ,
Causa nostræ lætitiæ,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,

Ora pro nobis.

Do-

Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina & Patrona Regni Hungariæ,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Kyrie

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Ave Maria.

Sub tuum præsidium confugimus, Sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, & benedicta: Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta.

V. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quæsumus Domine mentibus nostris infunde; ut, qui Angelo nunciante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus, & Crucem ad resurrectionis gloriam per-

perducamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum &c. Amen.

V. Ora pro nobis beatissime Joseph.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Sanctissimæ Genitricis tuæ sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur: ut, quod possibilitas nostra non obtinet; ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus &c. Amen.

Pro incolumitate Regni Hungariae.

Antiph. Regina cœli! Reparatrix inclita mundi! memento quæsumus quod B. Stephanus Rex noster, moriens, sanctam Ecclesiam Hungaricam, cum Episcopis, Regnum, & Regem, cum Primatibus & Populo, tuo Patrocinio commendaverit.

V. Ora pro nobis Patrona Regni Hungariæ.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Beatæ & gloriosæ semper virginis Mariæ, quæsumus Domine, intercessio gloriosa, nos protegat, ab his .... custodiat, Regi nostro bonos consiliarios procuret, in sancta Religione catholica nos conservet, fratres nostros errantes pretioso filii tui sanguine redemptos ad veram fidem convertat, & nos tandem omnes ad vitam perducat æternam. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Commemoratio SS. Patronorum Regni Hungariae.

Antiph. Sancte Rex Stephane, omnesque sancti Patroni Regni Hungariæ orate pro nobis, ut Dominus Deus omnipotens & misericors, nobis det salutem & pacem. Amen.

Ore-

Oremus:

Concede nobis quæsumus omnipotens Deus, ut B. Stephanum confessorem tuum, quem regnantem in terris propugnatorem fidei habuimus, propugnatorem & intercessorem habere mereamur gloriosum in coelis.

Exaudi nos Deus salutaris noster: ut per sanctorum Patronorum nostrorum intercessionem, a cunctis nos hostibus tuearis, gratiam tribuens in præsenti, & gloriam in futuro. Per J. C. D. N. Amen.

Tempore cujuscumque publicae calamitatis.

Antiph. Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ: libera nos propter nomen sanctum tuum.

Miserere nobis, Deus Pater, per sanguinem filii tui, de quo nos redimi voluisti: exaudi orationem nostram, & converte luctum nostrum in gaudium, liberans nos.

V. Vide Domine afflictionem nostram.

R. Et da gloriam nomini sancto tuo.

Oremus.

Deus refugium nostrum & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, & præsta; ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia oratio.

Ne despicias omnipotens Deus, populum tuum in afflictione ad te clamantem; sed propter gloriam nominis tui, tribulatis succurre placatus. Per Christum. Amen.

Tempore Famis aut contagionis.

V. Media vita in morte sumus: — quem quærimus adjutorem, nisi te Domine, qui pro peccatis nostris irasceris.

Sancte Deus, sancte fortis, sancte & immortalis, miserere nobis.

V.

V. Ne simul perdas nos, Domine, cum iniquitatibus nostris; neque in æternum iratus reserves mala nobis.

Sancte Deus, sancte fortis, sancte & immortalis miserere nobis.

V. Quæ utilitas in sanguine nostro, si descenderimus in corruptionem.

Sancte Deus, sancte fortis, sancte & immortalis, miserere nobis.

V. Non in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam; sed in miserationibus tuis multis,

Sancte Deus &c.

V. Ne despicias, piissime Jesu, opus manuum tuarum; sed propitius esto nobis, & converte luctum nostrum in gaudium; ut viventes laudemus nomen tuum, Domine Sancte Deus.

Oratio tempore belli.

Deus qui conteris bella & impugnatores in te sperantium potentia tuæ defensionis expugnas, auxiliare famulis tuis, implorantibus misericordiam

tuam;

tuam; ut inimicorum suorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus. Per &c.

Oratio tempore famis.

Da nobis quæsumus Domine, piæ supplicationis effectum, & famem propitius averte: ut mortalium corda cognoscant, & te indignante, talia flagella prodire, & te miserante cessare. Per &c.

Pro Rege tempore belli.

Antiph. Ecce Reges terræ commoti sunt, conturbati sunt: salvum fac Regem nostrum, Deus meus.

V. Mitte ei Domine auxilium de sancto.

R. Et de Sion tuere eum.

Oremus.

Deus in te sperantium salus, & tibi servientium fortitudo, suscipe propitius

tius preces nostras, & da famulo tuo Regi nostro, & exercitui ejus, regimen tuæ sapientiæ; ut haustis pio de fonte consiliis, & tibi placeant, & de omnibus suis adversariis victores effici merantur. Per &c.

In afflictione et Tentatione.

Cum anxiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum. Jon. 11.

O r a t i o.

Bonum mihi Domine, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas! — Quod bonum est in oculis tuis, supplex oro, facias semper.

Paratus sum, & non turbatus, ut bibam calicem, quem tu bibisti.

Abba! Pater! Omnia tibi possibilia sunt: — transfer calicem hunc a me: — sed non quod ego volo, sed quod tu. —

Gratias tibi ago, quoniam dignus habeor pati pro te, Domine. — Scio

quod

quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.

Bone Jesu! Spiritus quidem promptus, caro autem infirma; — miserere, tu qui es patientia & fortitudo mea.

Patientia pauperis non peribit in finem; — in patientia mea, possidebo animam meam.

Domine! Spes mea tu es; — consolationes tuae laetificabunt animam meam.

Gloria Patri &c.

Lectio brevis ex sacris litteris.

Disciplinam Domini, Fili mi, ne abjicias; — nec deficias, cum corripieris ab eo. Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi Pater in Filio complacet sibi. — Hæc dicit Dominus: invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.

R. Deo gratias.

Hym-

Hymnus.

Quicunque certum quæritis
Rebus levamen asperis:
Seu culpa mordet anxia,
Seu pœna vos premit comes;
Jesu, qui, ut agnus innocens,
Se se immolandum tradidit,
Ad cor reclusum vulnere,
Ad mite cor accedite.
Auditis, ut suavissimis
Invitet omnes vocibus?
Venite, quos gravat labor,
Premitque pondus criminum.
Quid corde Jesu mitius?
Jesum cruci qui affixerant;
Excusat, & Patrem rogat,
Ne perdat ultor impios.
O cor voluptas cœlitum
Cor fida spes mortalium!
En hisce tracti vocibus
Ad te venimus suplices.
Tu nostra terge vulnera
Ex te fluente sanguine,
Tu da novum cor omnibus
Qui te gementes invocant. Amen.

Ad B. Virginem Mariam.

Festina misero misereri virgo beata; nam si recolis, miseri Te fecere beatam. — bea ergo miseros, quos tui causa beavit.

In Anxietate et Remorsu conscientiae.

Miserere mei Deus, quoniam tribulor, & inenarrabilibus crucior, urgeorque miseriis.

Torrentes iniquitatis conturbant me, & aquæ intraverunt usque ad animam meam.

Quasi fluvius inundans peccata mea eo usque excreverunt, ut supergressa sint caput meum.

Vae mihi, quia totus lethaliter plagatus sum; & a planta pedis usque ad verticem nulla est in me sanitas.

Cœlestia non sapio; & ab omni cibo spirituali, nauseat anima mea.

Terrena super mel & favum dulciora judico; — ad contemplanda, quæ Dei sunt, cœcus & animalis sum.

Quo-

Quoties peccavi videns, & videre nolens, stans & sedens, dormiens & vigilans, ambulans & quiescens.

Omnem denique sensum immutavi exardescens in desideriis meis.

Utinam fuissem & non essem! sed heu nihil mutatus deteriora sequor!

Sæpe mihi irascor, quia tædet peccare; — cum tamen non tædeat vivere.

Cognosco stultitiam meam, & confundor, ac confusus me reprehendo.

Sed tu Domine Deus virtutum, turris fortitudinis meæ, & Dominator vitæ meæ! auxilium tuum ne elongaveris a me.

Ad defensionem meam conspice; & protege me sub umbra alarum tuarum.

Ne corruam in conspectu adversariorum meorum, & inimicus meus dicat: prævalui adversus eum.

Disrumpe Domine vincula, sub quibus incurvatus sum; & funes peccatorum, quibus fortiter constrictus sum.

Sol-

Solve potentissime Domine, & notam fac inimicis meis potentiam tuam.

Ut immolem tibi hostiam jubilationis dicens: quis loquetur potentias Domini, & quis narrabit omnes laudes ejus? —

Qui salvavit me ex ore leonis, & a cornibus unicornium humilitatem meam.

Ad quem clamabo, nisi ad quem clamaverunt Patres nostri, — & salvi facti sunt.

Pone me itaque Domine juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.

Etenim scio & certus sum — quod nemo potest te desiderare, nisi per te; nec ire ad te, nisi tu traxeris eum. —

Trahe ergo me Domine, & da mihi incipere in bono desiderio, ut illud perficiam in opere bono. —

Antequam novum propositum mos vetustus opprimat; & prior voluntas vetustate roborata, novam superet.

Indue me vestimentis decoris tui, & denuda me vilibus viduitatis meæ, — & noli recedere amplius.

Ut

Ut in te noviter indutus, atque novus homo factus; novo spiritu, in novitate vitæ serviam tibi.

Et in fragrantía ungmentorum tuorum ad te recurrens, gaudeam in Jesu Salvatore meo.

Gloria Patri & Filio &c.

ORATIONES ECCLESIAE.

In Festo S. Aloysii.

Coelestium donorum distributor Deus, qui in angelico juvene Aloysio miram vitæ innocentiam pari cum pœnitentia sociasti; ejus meritis & precibus concede: ut innocentem non secuti, pœnitentem imitemur.

In Festó S. Joannis Nepomuceni.

Deus qui ob invictum beati Joanís Sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam

tuam martyrii corona decorasti: da nobis ejus intercessione & exemplo linguam caute custodire, ac omnia potius mala, quam animæ detrimentum in hoc sæculo tolerare.

In Festo S. Caroli Boromaei.

Ecclesiam tuam Domine Sancti Caroli Confessoris tui atque pontificis, continua protectione custodi: ut sicut illum pastoralis solicitudo gloriosum reddidit, ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore ferventes.

In Festo S. Theresiae.

Exaudi nos Deus salutaris noster: ut sicut de beatæ Theresiæ virginis tuæ festivitate gaudemus; ita cœlestis ejus doctrinæ pabulo nutriamur, & piæ devotionis erudiamur affectu.

In Festo S. Leopoldi.

Deus, qui Sanctum Leopoldum ex Principatu, & curis sæculi hujus, imma-

maculatum ad Regnum cœleste traduxisti: concede propitius, tua clementia ita nos per hæc temporalia dirigi, ut æternæ vitæ consortes effici mereamur. Per Dominum &c.

Invocatio Sancti Spiritus.

Hymnus.

Veni Sancte Spiritus, & emitte cœlitus, lucis tuæ radium.

Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.

In labore requies, in æstu tempories, in flectu solatium.

O Lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium.

Sine tuo Numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

Lava, quod est sordidum; riga, quod est aridum; sana, quod est saucium.

Flecte, quod est rigidum; fove, quod est frigidum; rege, quod est devium.

Da

Da tuis fidelibus, in te confidentibus sacrum septenarium.

Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium.

Amen.

ALIAE ORATIONES ECCLESIAE.

Oratio.

Ad tollendum Schisma.

Deus qui errata corrigis, & dispersa congregas; & congregata conservas: quæsumus, super populum Christianum tuæ unionis gratiam clementer infunde: ut divisione rejecta, vero pastori Ecclesiæ tuæ se uniens, tibi digne valeat famulari. Per &c.

Oratio pro infirmis.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium: exaudi nos pro famu-

famulis tuis infirmis, pro quibus misericordiæ tuæ imploramus auxilium: ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actiones. Per &c.

Pro infirmo qui proximus est morti.

Omnipotens & misericors Deus, qui humano generi & salutis remedia, & vitæ æternæ munera contulisti: respice propitius famulum tuum, infirmitate corporis laborantem & animam refove, quam creasti: ut in hora exitus illius, absque peccati macula tibi creatori suo per sanctos angelos tuos repræsentari mereatur. Per &c.

Pro peregrinantibus.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietates, tuo semper protegantur auxilio. Per &c.

Pro sponsis.

Propitiare Domine supplicationibus nostris, & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste: ut quod te auctore jungitur, te auxiliante servetur.

Pro tentatis et tribulatis.

Deus qui justificas impium & non vis mortem peccatoris: majestatem supplices deprecamur, ut famulos tuos de misericordia tua confidentes, cœlesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserves: ut tibi jugiter famulemur, & nullis tentationibus a te separemur.

Ad repellendas malas Cogitationes.

Omnipotens & mitissime Deus, respice propitius ad preces nostras, & libera corda nostra de malarum tentationibus cogitationum: ut Sancti Spiritus dignum fieri mereamur habitaculum. Per &c.

Ad petendam pluviam.

Deus, in quo vivimus, movemur & sumus; pluviam nobis tribue congruentem: ut præsentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus. Per &c.

Tempore luis pecorum.

Deus, qui laboribus hominum, etiam de mutis animalibus solatia subrogasti: supplices te rogamus: ut sine quibus non alitur humana conditio, nostris facias usibus non perire. Per &c.

Ad postulandam Humilitatem.

Deus qui superbis resistis, & gratiam præstas humilibus: concede nobis veræ humilitatis virtutem, cujus in se formam fidelibus unigenitus tuus exhibuit: ut nunquam indignationem tuam provocemus elati, sed potius gratiæ tuæ capiamus dona subjecti. Per &c.

Ad postulandam Patientiam.

Deus qui unigeniti tui patientia, antiqui hostis contrivisti superbiam: da nobis quæsumus, quæ idem pie pro nobis pertulit, digne recolere; sicque exemplo ejus, nobis adversantia æquanimiter tolerare. Per eundem &c.

Ad postulandam Charitatem.

Sancti Spiritus gratia, quæsumus Domine, corda nostra illuminet: & perfectæ charitatis dulcedine abundanter reficiat. Per Dominum &c.

Pro amicis.

Deus, qui charitatis dona per gratiam Sancti Spiritus tuorum fidelium cordibus infudisti: da famulis & famulabus tuis N. N. pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis & corporis: ut te tota virtute diligant, & quæ tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. Per &c.

Pro inimicis.

Deus pacis, charitatisque amator & custos: da omnibus inimicis nostris pacem, charitatemque veram, & cunctorum remissionem peccatorum: nosque ab omnibus insidiis eorum potenter eripe. Per &c.

Actus Fidei.

Credo in unum Deum, vivum & verum, — mihi hic, & ubique præsentem, — — trinum & unum; Creatorem, Redemptorem, & Sanctificatorem meum.

Credo quidquid tu, Deus, revelasti; — quidquid apostoli prædicarunt, & nobis Sancta mater Ecclesia Romana, credendum proponit; — quia tu Deus meus infallibilis es veritas, & infinita sapientia, quæ nec falli, nec fallere potest. In hac fide vivere & mori statuo. — Domine auge fidem meam.

Actus Spei.

Spero in infinita Potentia, fidelitate, bonitate & misericordia tua Deus meus, quod per infinita merita filii tui Domini nostri Jesu Christi, remissurus sis omnia & singula peccata totius vitæ meæ, & daturus gratias ad salutem, & post hoc exilium vitam æternam. —

Spero hæc a te Domine, quia tu promisisti, qui es infinite potens, bonus, & fidelis in promissis tuis. In hac spe vivere & mori statuo; — Bone Deus auge & confirma spem meam.

Actus Amoris.

Amo te, mi Deus, ex toto corde meo, & ex omnibus viribus meis ob infinitas perfectiones tuas super omnia. — Utinam te amare possem eo puro amore, quo te amant & semper amabunt omnes Sancti & beati in cœlo; cum quorum amore conjungo imperfectum amorem meum.

Bone,

Bone, piissime Deus auge amorem meum.

Actus Contritionis.

Ex amore tui doleo, quod te offenderim; — Benignissime Deus, detestor omnia, & singula peccata totius vitæ meæ. Utinam te numquam offendissem. —

Propono, firmiterque statuo te amplius non offendere: peccata, omnesque peccandi occasiones imposterum evitare velle; — & mori potius, quam te offendere. Domine confirma hoc meum propositum. Amen.

ORATIONES AD LUCRANDAS INDULGENTIAS.

Pro Concordia Principum.

Deus largitor Pacis & amator charitatis, da famulis tuis Regibus & Principibus Christianis veram cum tua volun-

tate

tate concordiam; ut bellis, dissensionibus, & omni perturbatione submota, secura tibi serviat christiana libertas.

Pro conversione peccatorum, et extirpatione Haeresum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui neminem vis perire: respice ad animas diabolica fraude deceptas; ut omni hæretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem.

Pro Exaltatione S. Matris Ecclesiae.

Deus omnium fidelium Pastor & Rector, cujus spiritu totum corpus Ecclesiae sanctificatur & regitur: quique gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti! custodi opera misericordiæ tuæ, ut Ecclesia tua toto orbe diffusa, bonorum omnium incremento augeatur, & stabilis fide in confessione tui nominis perseveret. Per &c.

Litaniae
de Sanctissimo Nomine Jesu.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Jesu audi nos.
Jesu exaudi nos.
Pater de cœlis Deus
Fili Redemptor mundi Deus.
Spiritus Sancte Deus.
Sancta Trinitas unus Deus.
Jesu fili Dei vivi.
Jesu splendor Patris.
Jesu candor lucis æternæ.
Jesu Rex gloriæ.
Jesu Sol justitiæ.
Jesu Fili Mariæ Virginis.
Jesu admirabilis.
Jesu Deus fortis.
Jesu Pater futuri sæculi.
Jesu magni consilii angele.
Jesu potentissime.
Jesu patientissime.
Jesu obedientissime.

Miserere nobis.

Jesu

Jesu mitis & humilis corde.
Jesu amator castitatis.
Jesu amator noster.
Jesu Deus Pacis.
Jesu auctor vitæ.
Jesu exemplar virtutum.
Jesu zelator animarum
Jesu Deus noster.
Jesu refugium nostrum.
Jesu Pater pauperum.
Jesu thesaurus fidelium.
Jesu bone pastor.
Jesu lux vera.
Jesu sapientia æterna.
Jesu bonitas infinita.
Jesu via & vita nostra.
Jesu gaudium angelorum.
Jesu Magister Apostolorum.
Jesu doctor Evangelistarum.
Jesu fortitudo martyrum.
Jesu lumen confessorum.
Jesu puritas virginum.
Jesu corona Sanctorum omnium.

Miserere nobis.

Propitius esto, parce nobis Jesu.
Propitius esto, exaudi nos Jesu.

Ab

Ab omni peccato libera nos Jesu.
Ab ira tua.
Ab insidiis diaboli.
A Spiritu fornicationis.
A morte perpetua.
A neglectu inspirationum tuarum.
Per mysterium sanctae incarnationis tuæ.
Per nativitatem tuam.
Per infantiam tuam.
Per divinissimam vitam tuam
Per labores tuos.
Per agoniam & passionem tuam.
Per crucem & derelictionem tuam.
Per languores tuos.
Per mortem & sepulturam tuam.
Per Resurrectionem tuam.
Per Ascensionem tuam.
Per gaudia tua.
Per gloriam tuam.

Libera nos Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; parce nobis Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; exaudi nos Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; miserere nobis Jesu.

Jesu audi nos.
Jesu exaudi nos.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui dixisti: Petite & accipietis; quærite & invenietis; pulsate & aperietur vobis; da nobis, quæsumus, petentibus divini tui amoris effectum, ut te toto corde, ore & opere diligamus, & a tua nunquam laude cessemus.

Sanctissimi Nominis tui Domine Jesu Christe, timorem pariter & amorem nos habere fac perpetuum; quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus, per omnia Sæcula Sæculorum. Amen.

Psalmus 12.

Usquequo Domine oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me?

Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?

Us-

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?

Respice, & exaudi me, Domine Deus meus. Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte:

Ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum. Qui tribulant me exultabunt, si motus fuero:

Ego autem in misericordia tua speravi. Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: & psallam nomini Domini altissimi.

Psalmus 33.

Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur.

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, & exaudivit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Acce-

Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamavit, & Dominus axaudivit eum: & de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immitet angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos.

Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum.

Diverte a malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.

Oculi

Oculi Domini * super justos, & aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: & qui oderunt justum, delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum: & non delinquent omnes, qui sperant in eo.

Psalmus 36.

Noli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem.

Quo-

Quoniam tamquam fœnum velociter arescent: & quemadmodum olera herbarum cito decident.

Spera in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & pasceris in divitiis ejus.

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Revela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet.

Et educet quasi lumen justitiam tuam: & judicium tuum tamquam meridiem:

Subditus esto Domino, & ora eum. Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias.

Desine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari, ut maligneris.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram.

Et adhuc pusillum, & non erit peccator: & quæres locum ejus, & non invenies.

Man-

Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

Observabit peccator justum, & stridebit super eum dentibus suis.

Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit, quod veniet dies ejus.

Gladium evaginaverunt peccatores: intenderunt arcum suum; Ut dejiciant pauperem & inopem: ut trucident rectos corde.

Gladius eorum intret in corda ipsorum: & arcus eorum confringatur.

Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.

Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem justos Dominus.

Novit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit.

Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur:

Quia peccatores peribunt. Inimici vero Domini mox, ut honorificati fue-

 rint

rint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.

Mutuabitur peccator, & non solvet: justus autem miseretur, & tribuet.

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.

Apud Dominum gressus hominis dirigentur: & viam ejus volet.

Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

Tota die miseretur & commodat, & semen illius in benedictione erit.

Declina a malo, & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi.

Quia Dominus amat judicium, & non derelinquet sanctos suos: in æternum conservabuntur. Injusti punientur, & semen impiorum peribit.

Justi autem hæreditabunt terram: & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.

Os

Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.

Lex Dei ejus in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus ejus.

Considerat peccator justum, & quærit mortificare eum:

Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus: nec damnabit eum, cum judicabitur illi.

Expecta Dominum, & custodi viam ejus: & exaltabit te, ut hæreditate capias terram: cum perierint peccatores, videbis.

Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani:

Et transivi, & ecce non erat: & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.

Custodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

Injusti autem disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt.

Salus autem justorum a Domino: & protector eorum in tempore tribulationis.

Et adjuvabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos a peccatoribus, & salvabit eos, quia speraverunt in eo.

Psalmus 49.

Deus deorum Dominus locutus est, & vocavit terram. A solis ortu usque ad occasum:

Ex Sion species decoris ejus.

Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida.

Advocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum.

Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

Et annuntiabunt cæli justitiam ejus: quoniam Deus judex est.

Audi populus meus, & loquar, Israel, & testificabor tibi: Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non

Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.

Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus, & boves.

Cognovi omnia volatilia cæli: & pulchritudo agri mecum est.

Si esuriero, non dicam tibi; meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus.

Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?

Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.

Et invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.

Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?

Tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum.

Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas.

Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.

Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum:

Hæc fecisti, & tacui. Existimasti inique, quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.

Intelligite hæc qui obliviscimini Deum, nequando rapiat, & non sit qui eripiat.

Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

Psalmus 80.

Exultate Deo adjutori nostro: jubilate Deo Jacob.

Sumite psalmum, & date tympanum; psalterium jucundum cum cythara.

Buccinate in neomenia tuba, in insigni Die solemnitatis vestræ.

Quia præceptum in Israel est: & judicium Deo Jacob.

Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Aegypti: linguam, quam non noverat, audivit.

Di-

Divertit ab oneribus dorsum ejus: manus ejus in cophino servierunt.

In tribulatione invocasti me, et liberavi te: exaudivi te in abscondito tempestatis: probavi te apud aquam contradictionis.

Audi Populus meus, & contestabor te: *Israel si audieris me; non erit in te Deus recens, neque Deus alienus.*

Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: dilata os tuum & implebo illud.

Et non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi.

Et divisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.

Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset.

Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.

Inimici Domini mentiti sunt ei: & erit tempus eorum in secula.

Et

Et cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos.

Gloria Patri &c.

Psalmus 85.

Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me; quoniam inops, & pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum; salvum fac servum tuum, Deus meus sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota Die; lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meae clamavi ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine; & non est secundum opera tua.

Omnes

Omnes gentes, quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & *faciens mirabilia: tu es Deus solus.*

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia *misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.*

Deus, iniqui insurexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus, miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ, & verax,

Respice in me, & miserere mei: *da imperium tuum puero tuo*,] & salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam *tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.*

Psalmus 90.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno,

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Ve-

Verum tamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam angelis suis mandavit de te, ut costodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.

Psal-

Psalmus 102.

Benedic anima mea Domino: & omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino: & *noli oblivisci omnes retributiones ejus.*

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui replet *in bonis* desiderium tuum: renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Faciens misericordias Dominus; & judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi; filiis Israel voluntates suas.

Miserator & misericors Dominus; longanimis, & multum misericors.

Non in perpetuum irascetur: neque in æternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem cœli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, *misertus est Dominus* timentibus se: *quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.*

Recordatus est, quoniam pulvis sumus: homo sicut foenum, dies ejus tamquam flos agri sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet: & non cognoscet amplius locum suum.

Misericordia autem Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum, *his qui servant testamentum ejus,*

Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.

Do-

Dominus in cœlo paravit sedem suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Benedicite Domino omnes virtutes ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Gloria Patri & filio & spiritui sancto, sicut erat &c.

Psalmus 106.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant, qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos.

A

A solis ortu, & occasu: ab aquilone & mari.

Erraverunt in solitudine in inaquoso: viam civitatis habitaculi non invenerunt,

Esurientes & sitientes: anima eorum in ipsis defecit.

Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur: & de necessitatibus eorum eripuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam: ut irent in civitatem habitationis.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.

Quia satiavit animam inanem: & animam esurientem satiavit bonis.

Sedentes in tenebris & umbra mortis: vinctos in mendicitate & ferro.

Quia exacerbaverunt eloquia Dei: & consilium altissimi irritaverunt.

Et humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit, qui adjuvaret.

Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberavit eos.

Et

Et eduxit eos de tenebris, & umbra mortis: & vincula eorum disrupit.

Confiteantur Domino misericordiae ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.

Quia contrivit portas æreas: & vectes ferreos confregit.

Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter injustitias enim suas humiliati sunt.

Omnem escam abominata est anima eorum: & apropinquaverunt usque ad portas mortis.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Misit verbum suum & sanavit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.

Confiteantur Domino Misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.

Et sacrificent sacrificium laudis; & annuncient opera ejus in exultatione.

Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.

Ipsi

Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo.

Dixit, & stetit spiritus procellæ: & exaltati sunt fluctus ejus.

Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.

Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius: & omnis sapientia eorum devorata est:

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos.

Et statuit procellam ejus in auram: & siluerunt fluctus ejus.

Et lætati sunt quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.

Et exaltent eum in Ecclesia plebis: & in cathedra seniorum laudent eum.

Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim.

Terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.

Posuit desertum in stagna aquarum: & terram sine aqua in exitus aquarum.

Et collocavit illic esurientes: & constituerunt civitatem habitationis.

Et seminaverunt agros, & plantaverunt vineas: & fecerunt fructum nativitatis.

Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis: & jumenta eorum non minoravit.

Et pauci facti sunt: & vexati sunt a tribulatione malorum, & dolore.

Effusa est contemptio super Principes: & errare fecit eos in invio, & non in via.

Et adjuvit pauperem de inopia: & posuit sicut oves familias.

Videbunt recti, et lætabuntur: & omnis iniquitas opilabit os suum.

Quis sapiens & custodiet hæc? & intelliget misericordias Domini?

Gloria Patri, & filio & spiritui sancto &c.

Psal.

Psalmus 117.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israël quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia ejus.

De tribulatione invocavi Dominum: & exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor: & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Impulsus eversus sum, ut caderem: & Dominus suscepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis, & salutis, in tabernaculis justorum.

Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, sed vivam: & narrabo opera Domini.

Castigans castigavit me Dominus: & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino:

Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

La-

Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.

O Domine, salvum me fac; o Domine, bene prosperare;

Benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini:

Deus Dominus, & illuxit nobis. Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. Confitebor tibi, quoniam exaudisti me; & factus es mihi in salutem.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Psalmus 118.

Beati immaculati in via; qui ambulant in lege Domini.

Beati

Beati qui scrutantur testimonia ejus: in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.

Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.

Tunc non cunfundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.

Justificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.

In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

In toto corde meo exquisivi te: ne repellas me a mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi.

Benedictus es Domine: doce me justificationes tuas.

In labiis meis, pronuntiavi omnia judicia oris tui.

In

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.

In mandatis tuis exercebor: & considerabo vias tuas.

In justificationibus tuis meditabor: non obliviscar sermones tuos.

Retribue servo tuo, vivifica me: & custodiam sermones tuos.

Revéla oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra: non abscondas a me mandata tua.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, in omni tempore.

Increpasti superbos: maledicti qui declinant a mandatis tuis.

Aufer a me opprobrium, & contemptum: quia testimonia tua exquisivi.

Etenim sederunt principes, & adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

Nam & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meum justificationes tuæ.

Ad-

Adhæsit pavimneto anima mea; vivifica me secundum verbum tuum.

Vias meas enuntiavi, & exaudisti me: doce me justificationes tuas.

Viam justificationum tuarum instrue me: & exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitavit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amove a me: & de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi: judicia tua non sum oblitus.

Adhæsi testimoniis tuis Domine; noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum: & exquiram eam semper.

Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui.

In-

Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam.

Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.

Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.

Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum; quia judicia tua jucunda.

Ecce concupivi mandata tua: in æquitate tua vivifica me.

Et veniat super me misericordia tua Domine: salutare tuum secundum eloquium tuum.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speravi in sermonibus tuis.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque: quia in judiciis tuis supersperavi.

Et custodiam legem tuam semper, in sæculum & in sæculum sæculi.

Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisivi.

Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum: & non confundebar.

Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: & exercebar in justificationibus tuis.

Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum vivificavit me

Superbi inique agebant usquequaque: a lege autem tua non declinavi.

Memor fui judiciorum tuorum a sæculo Domine: & consolatus sum.

Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

Memor fui nocte nominis tui Domine: & custodivi legem tuam.

Hæc facta est mihi: quia justificationes tuas exquisivi.

Por.

Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundum eloquium tuum.

Cogitavi vias meas: & converti pedes meos in testimonia tua.

Paratus sum, & non sum turbatus: ut custodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi sunt me: & legem tuam non sum oblitus.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ.

Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

Misericordia tua Domine plena est terra: justificationes tuas doce me.

Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine, secundum verbum tuum.

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum costodivi.

Bo-

Bonus es tu: & in bonitate tua doce me justificationes tuas.

Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus sum.

Bonum mihi quia humiliasti me: ut discam justificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti.

Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me: da mihi intellectum, & discam mandata tua.

Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua supersperavi.

Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua: & in veritate tua humiliasti me.

Fiat misericordia tua, ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.

Veniant

Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam: quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

Convertantur mihi timentes te, & qui noverunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.

Defecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum supersperavi.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruina: justificationes tuas non sum oblitus.

Quot sunt dies servi tui? quando facies de persequentibus me judicium?

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.

Omnia mandata tua veritas: inique persecuti sunt me: adjuva me.

Pau-

Paulominus consummaverunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundum misericordiam tuam vivifica me: & custodiam testimonia oris tui.

In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cælo.

In generationem & generationem veritas tua: fundasti terram, & permanet.

Ordinatione tua perseverat dies: quoniam omnia serviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea.

In æternum non obliviscar justificationes tuas: quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego, salvum me fac: quoniam justificationes tuas exquisivi.

Me expectaverunt peccatores, ut perderent me: testimonia tua intellexi.

Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est.

Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.

Super senes intellexi: quia mandata tua quæsivi.

Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua

A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem posuisti mihi.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!

A mandatis tuis intellexi: propterea odivi omnem viam iniquitatis.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.

Juravi, & statui custodire Judicia Justitiæ tuæ.

Humiliatus sum usquequaque, Domine; vivifica me secundum verbum tuum.

Volun.

Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine: & judicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis semper: & legem tuam non sum oblitus.

Posuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erravi.

Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei sunt.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.

Adjutor, & susceptor meus est tu: & in verbum tuum supersperavi.

Declinate a me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundum eloquium tuum, & vivam: & non confundas me ab expectatione mea.

Adjuva me, & salvus ero: & meditabor in justificationibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis, quia injusta cogitatio eorum.

Præ-

Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: ideo dilexi testimonia tua.

Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui.

Feci judicium & justitiam: non tradas me calumniantibus me.

Suscipe servum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium justitiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, & justificationes tuas doce me.

Servus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Tempus faciendi Domine: dissipaverunt legem tuam.

Ideo dilexi mandata tua, super aurum, & topazion.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.

Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.

Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.

Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.

Aspice in me, & miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum; & non dominetur mei omnis injustitia.

Redime me a calumniis hominum; ut custodiam mandata tua.

Faciem tuam illumina super servum tuum: & doce me justificationes tuas.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

Justus es Domine: & rectum judicium tuum.

Mandasti justitiam testimonia tua: & veritatem tuam nimis.

Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuum vehementer: & servus tuus dilexit illud.

Ado-

Adolescentulus sum ego, & contemptus: justificationes tuas non sum oblitus.

Justitia tua, justitia in æternum: & lex tua veritas.

Tribulatio, & angustia invenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

Aequitas testimonia tua in æternum; intellectum da mihi & vivam.

Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine: justificationes tuas requiram.

Clamavi ad te, salvum me fac: ut custodiam mandata tua.

Præveni in maturitate, & clamavi: quia in verba tua supersperavi.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua.

Vocem meam audi secundum misericordiam tuam Domine: & secundum judicium tuum vivifica me.

Appropinquaverunt persequentes me iniquitati: a lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu Domine: & omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognovi de testimoniis tuis: quia in æternum fundasti ea.

Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non sum oblitus.

Judica judicium meum, & redime me: propter eloquium tuum vivifica me.

Longe a peccatoribus salus: quia justificationes tuas non exquisierunt.

Misericordiæ tuæ multæ Domine: secundum judicium tuum vivifica me.

Multi qui persequuntur me, & tribulant me: a testimoniis tuis non declinavi.

Vidi prævaricantes, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.

Vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in misericordia tua vivifica me.

Principium verborum tuorum, veritas: in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

Prin-

Principes persecuti sunt me gratis: & a verbis tuis formidavit cor meum.

Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui invenit spolia multa.

Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam; & non est illis scandalum.

Expectabam salutare tuum Domine: & mandata tua dilexi.

Custodivit anima mea testimonia tua: & dilexit ea vehementer.

Servavi mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine: juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundum eloquium tuum eripe me.

Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.

Pro-

Pronuntiabat lingua mea eloquium tuum: quia omnia mandata tua æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me: quoniam mandata tua elegi.

Concupivi salutare tuum Domine: & lex tua meditatio mea est.

Vivet anima mea, & laudabit te: & judicia tua adjuvabunt me.

Erravi, sicut ovis quæ periit: quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

Psalmus 119.

Ad Dominum cum tribularer, clamavi: & exaudivit me.

Domine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.

Heu

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar:

Multum incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Canticum Isaiae Prophetae.

Isaiae C. 12.

Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi * conversus est furor tuus, & consolatus es me.

Ecce Deus Salvator meus * fiducialiter agam, & non timebo.

Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus * & factus est mihi in salutem.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris * & dicetis in die illa: Confitemini Domino, & invocate nomen ejus.

Notas

Notas facite in populis adinventiones ejus * mementote quoniam excelsum est nomen ejus.

Cantate Domino quoniam magnifice fecit * annunciate hoc in universa terra.

Exalta & lauda habitatio Sion * quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

Con-

CONSPECTUS

contentarum hoc libello precum, hymnorum, &c. &c.

Ad

Ante

Tem-

Ad

Psal-


Österreichische Nationalbibliothek
+Z197262800

